Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1863
Quelle:
Copyright:

XXXIII. *fol.* 251. Narratio germanica nota τȣ Συμποσιȣ a *Luthero* instituti, in quo praedictus *Agricola*, *Luthero* frustra exemplum praeeunte, Poculum tribus circulis distinctum non ultra primum circulum siccare valuit, Modimperatore mox, quid istud portenderet, explicante. Ad calcem latine subditur: *Hec vidit Spangenbergius et assignauit in Bibliam eius.* An loco sat congruo, Lectoris judicium esto.

XXXIV. *fol.* 252. Ode Sapphica non inelegans, quae Coetum Lutheranum sub schemate gregis de rapto Pastore solatur, ejus adversis ingemiscit, eique fiduciam in Deum commendat. Incipit porro:

Ergo te rursus ferient, pusille
Grex! novi fluctus super imminentes,
Aether et totus tibi iam minatur
Fulminis ictum &c.

Ad Formulam *Interim* adludi, palam est. Non sunt ad manum *Stigelii* Carmina Libris IX. a *Fincelio Jenae* 1571. edita, inter quae fortassis et nostrum occurrit.

XXXV. *fol.* 254. *Hieron. Paumgartneri Norici ad L. D. Joan. Agricolam eisleb. epistola.* Data *Noribergę. 15. Julij.* 1548. Itaque post publicatum *Interim*, de quo in Epistola: *Hodie in omnibus templis per Ecclesiasticos nostros precipue Osiandrum* (Andr. qui tamen anno sequente in Prussiam abiit) *Cesaris clementia et consilium de parata* (sic) *ecclesia probata est, incredibili totius populi applausu et gratulatione, cum antea longe aliud metuerit magna pars Vrbis.* Epistolae initium: *Retulimus hodie ad senatum de ijs, quę hoc biduo per te apud nos acta sunt* &c. Nescio, an ullibi typis consignata.

XXXVI. *fol.* 255. *Joh. Agricolae* Epistola: *Integerrimo atque doctiss. uiro magna pietate et eruditione predito D. Caspari Glatio Theologiæ doctori et Parocho in artemunda D. et amico Veteri itaque fidelissimo.* Laus et Commendatio Formulae *Interim*, per quam *conseruari et sanari Ecclesiam et reuocari jam ad veterem puritatem* ait. Laus Caesaris. Sub finem: *Aquilam* (Casp.) *hominem alioqui durum et stoicum eo deduxi cum multis aliis in illa profectione ut sint equissimi Cęsari.* Hac spe falsum fuisse *Agricolam* oportet; *Aquilam* enim Caesaris indignationem veritum aliquamdiu latere debuisse memorant, qui de eo tradidere. Epistola notis chronologicis destituta est.

XXXVII. *fol.* 256. *Gasp. Creutziger Collationes.* Initium: *Tandem de summa rei singulos statuere necesse est. Carolus nouam formam uult constituere et constituit dissentientem a nostra in aliquibus articulis magni momenti. Vult uideri medium quærere inter*